



Frisia occidentalis

<https://hdl.handle.net/1874/430435>



Blank
DIV-51

remnendum præbet, estque tuendo igni fomes, quam Promethea illa ferula, paratior. Hujus tam copiosa materia & luxuries in lucem profertur, ut non tantum Incolis abunde sufficiat, sed & vicinis regionibus iis subvenire queant. Materiam hujus cespititiæ plura sunt genera, quæ colore, levitate & pondere materiam, adhæc cineris, quo se obruit, bonitate & candore, differunt atque examinantur. Primum genus vile est, raram, inane, fungosum, valde leve, color illi impluviatus, qui rubiginem parietum è pluviam defluxu natam mentitur: quod genus deterrimum est, neque usui Civium expeditum; servit fere cortinis cervinariorum inflammandis & concoquendis: quod accensum vultus è vivido colore plumbeos, cadaverosos, larvisque assimilés homines facit, tetramque exhalat mephitim: quo odore non raro etiam animi defectus (ut præsentius in bituminosis carbonibus fit) conciliatur, quem sal inspersus tollit. Alterum densius est, farvum, segmentis virgultorum intermeantibus & palustribus cannis intercisum, gravitate mediocri, promiscui usus. Tertium ponderosum, laterum *coctilium* duritiem quandam imitans, quod cæteris natatu fluitantibus solum subsidit aquæ immersum, tardeque ignem concipit, sed conceptum diutissimè continet, cinereum colore, sabulosoque solo effossum. Est & quod è falsuginosa terra conformatur in glebas, Zelandiæ domesticum, *Dariam* vulgus vocat. Præter hæc est quod verriculis è fundo aquæ extractum pingui luto constat, quæ materia in lacus quosdam quadratos, ubi aqua prius redundans diffluerit, affunditur & complanatur, postea arefacta in metas rariores aggeratur, ut vento perflatae solique penetrabiliores ad usum durentur. Habent & inopes rusticorum familiæ inter Cisthenanos Frisios pe-

culiare cespitum genus in tessellas, prius dictorum more conformatum, fimo bibulo constans, interspersis straminis, arundinum, fœni quisquiliis, ad solem æstivum excocto: sed cujus fumus infesta acrimonia sic urit oculos, ut lippitudinem facile conciliet. Frisia hæc olim Regio Diademate claruit, ad Caroli Magni usque tempora: à cujus obitu variis agitata fuit molestiis, tametsi & ante quoque ejusdem tempora durissimum Danorum & Norvvegianorum senserit imperium. Tandem vero sub Carolo V Cæsare, Principe verè pacifico, halcyonios dies est adeptæ. Urbes hujus Frisiam sunt numero xii. *Leovardia*, *Leeuwarden*, totius Frisiam est Caput, urbs opulenta, & uti privatis Civium domiciliis decenter ornata, ita aquarum ambitu, foveis & prævalida Arce, contra hostiles insultus egregiè munita. Curiam habet Iudiciale, & Frisiam Cancellariam, à cujus tribunali nulla ulterius permittitur appellatio. Huic vicinum est *Zuichemum*, patria Viglii. *Doccum* duobus inde milliaribus distat, agrum habet fertilem, pascua lata. Abest a Sinu Maris uno milliari, paruit olim Geldris. *Sneca* in Comitatu Westergoyensi tribus à Leovardia milliaribus loco humili & aquoso sita est, quo fit ut Segetem ager non ferat, pascuis sit lætissimus. Urbs tota recens, vix ante ducentos annos donata jure civitatis: progressu tamen temporis in tantum crevit, ut nulli nunc totius Frisiam urbi concedat. Bonorum ingeniorum alumna diu fuit: in hac natus est & educatus Ioachim Hopperus, non patriæ tantum Civitatis, sed Frisiam etiam totius, atque adeo Belgicæ dum vixit, lumen & ornamentum. In eadem orti Petrus à Fritema I. C. Albertus Hero Philosophus & Theologus alique complures. *Stavria*, *Staveren*, in Littore maris Australis porrecta jacet: Ager finitimus planus est, fossis multis

Imperium
majoris.

Urbes.

& palu-